# VITILIGINIS LEPROSAE RARIORIS HISTORIA CVM EPICRISI

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SCRIPSIT

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS AVCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO SVMMIS

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONCESSV

IN AVDITORIO IVRIDICO

A. D. XVIII. SEPTBR. CIƆIƆCCCXXI

H. L. Q. CC

PVBLICE DEFENDET


CAROLVS HAVBOLD

LIPSIENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS, SOCIETATIS NATVR. SCRVTAT. LIPS. SODALIS


*Adcedunt Tabb. IV aeneae a Nobilissimo Schroetero sculptae et coloribus ornatae.*


LIPSIAE

EX OFFICINA MELZERIANA

VIRO

ILLVSTRI, EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMO

# IOANNI CHRISTIANO AVGVSTO CLARO

POTENTISSIMO REGI SAXONIAE A CONSILIIS AVLAE, ORDINIS SAXONVM VIRTVTIS CIVICAE ET ROSSICI ST. WLADOMIRII EQVITI, CLINICES P. P. O., FACVLTATIS MEDICAE LIPSIENSIS ADSESSORI EXTRAORDINARIO, INSTITVTI REGII CLINICI MODERATORI ET MAGISTRO PRIMARIO, VNIVERSITATIS LITTERARVM LIPS. ET VRBIS MEDICO PVBLICO, COLLEGII MINORIS PRINCIPVM SODALI, SOCIETATT. OECONOMIC. ET NATVR. SCRVTAT. LIPS. ATQVE OSTERLAND. SOCIO ETC

VIRO

EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO

# GVILIELMO ANDREAE HAASIO

THERAPIAE ET MATERIAE MEDICAE P. P. O. ET FACVLTATIS MEDICAE ADSESSORI, SOCIETATIS NATVRAE ET ARTIS MEDICAE RHENAN. SODALI ETC

VIRO

EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO

# CAROLO AVGVSTO KVHLIO

CHIRVRGIAE P. P. EXTR. EIVSDEMQVE IN INSTITVTO REGIO CLINICO MAGISTRO PRIMARIO AC SOCIETATIS NATVRAE SCRVTATOR. LIPS. SODALI ETC

TRIVMVIRIS

DE REPVBLICA, LITTERIS ET HVMANITATE

OPTIME MERITIS

FAVTORIBVS ET PRAECEPTORIBVS

SVMMOPERE COLENDIS

HAS

STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

PIA GRATAQVE MENTE

OFFERT

AVCTOR

## PRAEFATIO.

Bene ac sapienter maiores nostri instituere, vt, quicunque altiorem in arte medendi locum obtinere voluerit, scribat libellum, scriptumque contra virorum clarissimorum atque doctissimorum dubitationes defendat. Quod officium, quum, peractis feliciter academicis studiis, et mihi imponant academiae leges, diu profecto anceps haesitaui et incertus, vtrum ex anatomia pathologica, materiem libelli desumerem, an eligerem caput ex praxi clinica depromtum. Cogitanti mihi saepius de hac re, fortuna felicissima discrimen fecit. Quum enim exeunte anno praeterito singulare quoddam exanthema, quo iuuenis laborabat, qui restituendae

sanitatis caussa nosocomium Sti Iacobi adierat, in meum conspectum venisset, mihique huius morbi saepius obseruandi data fuisset occasio; constitui apud me, si consilium hoc probasset clinici instituti Director, qui curam huius aegroti in se susceperat, morbi eius historiam describere, simul singula symptomata, quae aderant, enarrare atque comparationem inter hoc exanthema et alias ipsi affines aegritudines instituere, vt, ad quam systematis nosologiae classem referri illud mereatur, pateret. Ratas habuit non solum meas preces Ill. *Clarus*, verum etiam, quae est Praeceptoris Venerandi erga me humanitas, benevole mecum aduersaria ad hunc casum pertinentia, quae Ipse litteris exceperat, communicavit. Aggressus ergo sum opus, illudque, fauentibus Musis, ad finem ducere conabor.

In elaboranda autem dissertatione ipsa variae sese mihi opposuerunt difficultates, quarum alias in negligentia auctorum, qui de vitiligine et lepra tractarunt, neque tamen vtramque aegritudinem accurate descripserunt, alias in ingenii mei imbecillitate positas esse inueni. Nam etsi *Schillingius* et *Henslerus* leprae monographias nobis reliquerunt, in qui-

bus omnia, ad exanthematicum hunc morbum pertinentia, quae hucusque innotuerant, assidue studuerunt colligere; occurrunt tamen in operibus, quae ediderunt, nonnulla, quae minus apto loco commemorata leguntur, plura etiam iis insunt, quae veritati haud consentanea videntur, alia denique, quae accuratiori indagatione et iterata obseruatione indigent. Neque recentissimi adeo auctores hunc locum illustrare potuerunt, quum ipsis deesset occasio morbum illum tractandi falsaque a veris seiungendi. Quo rarius itaque verae leprae exempla occurrunt, hoc magis affectiones cutis, quae illi plus minusue similes sunt, nobisque qnandoque obueniunt, attentionem merentur nostram. Quare quum opportunitas se mihi obtulerit, eiusmodi morbo laborantem aegrum obseruandi, historiam eius enarrare, sicque symbolam aliquam ad illustrandum hoc pathologiae caput afferre mihi proposui. Deinde epicrisin adiungam, in cuius prima parte exanthematum nonnullarum, quae illi, quod descripsi, affinia sint, mentionem faciam, in altera autem aetiologiam morbi illius aegroti pertractabo. Affinia autem exanthemata hic nominanda esse propterea censui, vt statim inde pateat, vere nostrum casum

ad vitiliginem pertinuisse leprosam. Aetiologiam denique accuratius consideraui, quae hic singularis fuerit indolis et caussarum morbi cognitio ad curam feliciter peragendam, malique naturam optime cognoscendam, quam plurimum valeat.

Ceterum L. B. vehementer cupio rogatos velint benigne excipere, quae iuuenilis edidit animus de morbo, qui ne omnibus quidem artis magistris satis clarus et cognitus videtur.

# MORBI HISTORIA.

Adolescens * * * duodeuiginti annorum, cuius constitutio erat scrophulosa et temperamentum phlegmaticum, parentibus natus fuit, qui, vt ipse memoria tenuit, nullis vnquam morbis haereditariis laborauerant. A morbis sic dictis puerilibus, exceptis morbillis et variolis vaccinis, quae legitime effloruerant, normalemque decursum peregerant, immunis fuit optimaque semper gauisus est valetudine, nulla vnquam impetigine, nulla cachexia perturbabatur. Anno autem aetatis decimo quarto, quo inter discipulorum numerum recipiebatur, spirituosa nimis amare coepit, Venerisque cultui saepius satisfecit. Nihilominus tamen corpus semper validum robustumque mansit et nullo corruptum est morbo grauiori. Ante annum et quod nunc excurrit quum, in gymnasio adhuc versans, phiolas duas, alteram sulphurico, alteram muriatico acido repletam, manu sinistra teneret, accidit vt, in terram lapsus, vtrumque vitrum frangeret manusque tergum adureretur. Aqua frigida, cui ad mitigandos dolores manum inmiserat, adauxit dolorem, quem tamen, quum lectionum hora iamiam audita esset, viriliter perpessus est. Arcessitus deinde chirurgus vnguentum quoddam ipsi praescripsit, quod tamen laesioni exortae minus accomodatum esse videbatur, siquidem vulnus, acidorum illorum actione productum, maius fiebat, dolores augebantur saniesque effundebatur acris, quae quum vicinas arroderet partes,

brachium adeo ipsum occupare minabatur. Quod ne fieret aeger alius chirurgi opem implorauit, qui totum vulnus circumscindebat aptisque remediis ita curabat, vt vlcus in meliorem statum redigeretur tandemque affecto loco sanitati redderetur sic, vt non nisi rubro caeruleo cicatrices superessent. Nihilominus tamen trimestri post in manus tergo, prope cicatrices sanati vulneris noua inflammatio, nonnunquam vulnus exoriebatur, quod aptis in vsum vocatis remediis rursus sanabatur et cicatrices relinquebat iis, quae a primo vlcere remanserant, plane similes. Post breue tempus hoc ipsum malum denuo rediit, illudque insecuti sunt noui ejus insultus, a prioribus vix ac ne vix quidem recedentes et tandem omnis superficies ad insertionem musculi deltoidei vsque cicatricibus foedis, rubro caeruleis fuit deformis.

Interea nostrae academiae ciuibus adscriptus juuenis viuendi rationem non solum non mutauit, sed potius spirituosorum potuum desiderio justo saepius satisfecit, vnde factum est, vt, postquam iter faciens corpus commouisset et exaestuasset spirituosique potus modum excessisset, die vndetricesimo mensis Octobris anni praeteriti malum grauius atque vehementius, quam antea fuerat, rediret. Auxilium primum petiit a medico Lipsiensi experientissimo, qui ei, vt nosocomium Sti. Jacobi adiret suasor fuit. Receptus in illud est die sequente et examine instituto haec fere obseruauimus. Sinistrum brachium, quod primum ea, qua dixi, labe affectum fuit, cicatricibus rubris, partim caeruleis, erat obsessum, in quibus vlcera phagadaenica sparsim animadvertebantur. Superior pectoris brachiique dextri pars vibicibus erat suffusa, quae eas aequabant, quae oriuntur, quum liquor scriptorius ruber in latis ad inferiora acutis striis super cutem defluit. Quae intererant inter has maculas cutanei habitus partes depressae magis et albidiore colore conspicuae erant, quam reliqua cutis atque omnis sensus ita expertes, vt acus satis profunde immitti posset, priusquam dolor exoriretur, sanguisque erum-

peret. Margines purpureum induerant colorem, erantqne serrati, asperi, paululum eminentes, circiter lineam lati et admodum sensibiles. In facie, et quidem in mala dextra, similes conspiciebantur maculae, quae tamen, quum diutius iamiam sedem hic habuisse viderentur, forma et colore ab iis, quas antea descripsi, differebant.

Origo autem atque decursus huius impetiginis hic fere fuit. Exoriebantur primum in locis affectis rubescentes vibices, forma varia, rarius circulari, quam oblonga praeditae, a pisi vel lentis magnitudine ad fabae majoris usque ambitum se extendentes, modo densius constipatae, modo seorsim positae, vt totum tabulae geographicae haud dissimile videretur. In media vibicis parte, paucis horis praeterlapsis, apparuit linea alba, quasi fili in modum progrediens, pilo similis, quae tamen paulo post longior et latior fiebat, ad superiora praeprimis sese extendebat, nec raro cum vicinis maculis confluebat. In hoc statu per viginti quatuor ad triginta sex usque horarum spatium versabatur aegrotus, intra quod margines primum flauescebant et modo in badium transibant colorem [1]). Simul maculae sensu adhuc priuatae atque depressae conspiciebantur, margines pallido purpuri erant et sensim sensimque euanescebant. Praeterlapsis sex octoue diebus badia eruptio fusca obducebatur crusta, quae siue sponte decidisset, siue casu fuisset discissa, simile relinquebat vlcus cum dentatis et pallidis marginibus, quod saepius sanguinem effundebat ichoremque gignebat. Ea enim fuit humoris ex hisce vlceribus profluentis acrimonia, vt, cuicunque cutis parti is adduceretur, levem ibi excitaret inflammationem, et maculas produceret iis, quae in locis affectis aderant, quoad formam, colorem etc. plane similes. Caeterum quaecunque noua impetiginis eruptio cum formicationis sensu et sudore in cicatrice manus sinistrae semper conjuncta fuit.

1) Similis obseruatio legitur in prolegomenis *J. D. Hahnii* ad *G. G. Schillingii* de lepra Commentationes. Lugd. Bat. 1778. p. 27.

In reliquis corporis aegroti huius partibus et organis vix ac ne vix quidem mutatio a normali statu recedens locum habuit. Appetitus erat bonus et lingua pura, neque aeger de gustu deprauato, aut nausea querebatur, nec vexabatur ructibus, excretio aluina potius normalis erat et in regione scrobiculi cordis nulla obseruabatur inflatio. Respiratio bene procedebat neque impediebatur, nisi copiosiori muci in bronchiis tracheaque secretione, quae effecit, vt raucitate nonnunquam vexaretur aegrotus. Caput semper visum est a dolore liberum, sic etiam somnus fuit placidus, qui tamen quandoque interrumpebatur, cum ardor in superficie cutis suppurante valde increscebat, cutis interdiu noctuque fere sicca, sitis modica febrisque nulla. Praeterea in musculis zygomaticis lateris sinistri, nec non in scrobiculi cordis regione spasticorum nonnunquam aderant insultuum vestigia, qui tamen has solummodo partes inuadebant, nec perpetui mali videbantur symptomata, siquidem modo aderant, modo silebant.

Impetiginis diagnosis haud facilis videbatur, siquidem illa affectio cum nulla fere exanthematum forma, quae unquam a medicis observatae sunt, similitudinem habebat. Quum tamen experientia edocti sciamus, vix vllum morbum exanthematicum eodem modo, quo depingi illum curarunt varii artis nostrae magistri, semper se prodere, neque vllum eundem semper peragere decursum, siquidem natura sibi haud semper constans est: morbum illum propter analogiam, quam cum lepra habet, ad hanc ipsam referendum esse censuimus, quamuis reliqua signa quasi pathognomonica leprae desiderarentur, vniuersalis nimirum corporis cachexia, morbosa capillorum conditio, odor hircinus, adauctum concubitus desiderium, quippe quae symptomata vel non communia sunt omnibus leprosis [2]), vel tum de-

---

2) Dr. *Georg August* **Richter** *Specielle Therapie, nach den hinterlassenen Papieren des verstorbenen Dr. Aug. Gottl.* **Richter** *herausgegeben. Berlin* 1818. Tom. VI. p. 429.

mum, quum malum grauius sit, ad illud accedunt [3]. Confirmare quoque videbantur nostram sententiam raucitatis phaenomena, quae a plerisque auctoribus inter specifica leprae signa numerantur [4]. Censuimus ergo primum malum illud vitiliginem morphaeam *I. P. Frankii* esse, de quo hic Clar. Vir sic scripsit [5]: „Vitiligo igitur nobis maculam, aut macularum minorum congeriem in corporis superficie significat; quae mutata a caussis vel internis, vel externis, cellulosae subcutaneae, vel integrae, vel exesae, actione, cum pellis aliqua depressione, naturalem istius colorem, mobilitatem, leuitatem, sensibilitatem, et functionem hoc in loco, aut ex parte, aut in totum peruertit. Ipse vero huius impetiginis color interdum fere lacteus, aut et niueus, ac pilos albos, lanuginosos ostendens, habitu fere subaspero, vel vt quaedam quasi guttae dispersae videantur, subinde vmbrarum in modum nigrescens, squamulis obtectus et pruriens, eandem a Graecis, Arabibus curiose nimis, distingui, ac primo in casu alphon, morphaeam albam, in altero melan morphaeam nigram, vocari induxit.“

Aetiologiam mali illius hic silentio praetereo, quum tanti mihi videatur momenti esse, vt quam in peculiari libelli capite pertractem.

Prognosis in vniuersum dubia fuit. Saepe enim redierat malum, et semper cum maiori vehementia progressusque fecerat, sic, vt ti-

---

*Ph. Gabr. Hensler Vom abendländ. Aussatze im Mittelalter, nebst einem Beytrage zur Kenntniss und Geschichte des Aussatzes. Hamburg* 1790. p. 29. 43. 104.

*Schilling* l. l. p. 30. 128.

*I. P. Frank* de curandis hominum morbis Epitome, iuxta eius praelect. in clinico Vindob. habitas, a nonnullis suorum auditorum edita (Viennae 1810.) Lib. IV. p. 116.

*Rob. Willan die Hautkrankheiten und ihre Behandlung aus dem Englischen übersetzt und mit Anmerkungen begleitet von Fr. Gotth. Friese. Breslau, Hirschberg und Lissa* 1799. p. 98.

3) *Hensler* l. c. p. 41.

4) *Schilling* l. l. p. 30.

*Hensler* l. l. p. 29.

*I. P. Frank* l. l. p. 114.

*I. Frank* Praxeos medicae vniuersae praecepta part. I. volum. II. Lips. 1815. p. 479. et 492.

*K. Sprengel Handbuch der Pathologie. Leipzig* 1810. 3. *Aufl.* Tom. III. p. 111. et 113.

5) *I. P. Frank* l. l. p. 65 et 66.

mendum esset, ne quando systema reproductiuum plus minusue laederetur, quippe in quod et scrophulosa diathesis et vitae regimen iamiam eiusmodi effectus exeruissent, vt suas functiones rite peragere haud posset.

Indicationes praeprimis fuerunt duae; nimirum status praesens remouendus et exanthematis radices tollendae erant. Huic fini satisfacere non potuimus, quod morbus inveteratus et admodum pertinax erat, aegri autem constitutio talis deprehendebatur, quae felicem medicationis euentum vix promittebat. Namque quum diu iam laborasset hoc exanthemate iuvenis, simulque communi eorum, qui recuperandae sanitatis caussa in nosocomiis continentur, timore esset affectus, malum autem, siquidem noua quaedam leprae forma esse videbatur, haud facile remediis in vsum vocatis cessurum esse suspicari deberemus, quia parum tantummodo de leprae cura constat, eiusque aetiologia obscura est, non poterat non perdifficilis esse inuentio medelae illi malo accommodatae. Accedebat et hoc, quod aegri constitutio prohibebat, quo minus felicem mali exitum sperare liceret; namque totum systema lymphaticum erat pessumdatum. Praesens autem corporis status requirebat, vt partim cutis functio sustineretur et blando aliquo stimulo imminens excretio adiuuaretur, simulque excernendae materiei indoles melior redderetur, partim vero symptomata concomitantia vel mitigarentur, vel, si fieri posset, penitus e medio tollerentur. Et illi quidem scopo satisfacere nos posse putauimus quotidiano balneorum ex sapone et natro carbonico praeparatorum vsu, siquidem experientia confirmatum habebamus, remedia alcalina, praesertim in chronicis exanthematibus adhibita, vi gaudere insigni materiam morbosam resoluendi, solutamque remouendi et in ipsis locis affectis normalem vegetationem reuocandi. Ex concomitantium symptomatum classe spasticis solummodo insultibus musculorum remediis obuiam eundum esse iudicauimus, quamobrem

leue infusum Valerianae, cum liquore C. C. succin. mixtum, primis diebus aegro praescripsimus.

Quum autem mox post primi balnei vsum pectoris oppressio aucta fuisset, insimulque anxietatis phaenomena comparuissent 6), consilium dedimus, vt alternis solummodo diebus illud iteraretur. Sic nec pectoris oppressio, nec anxietas aegrum vexauit, qui potius se in balneis bene habuit. Adaucta quoque est muci in bronchiis secretio, eam autem concomitans raucitas sensim sensimque hac methodo penitus disparuit. Spasmodici adeo insultus vsu blandorum horum medicaminum cessarunt, ita tamen, vt primum facies, deinde etiam regio scrobiculi cordis ab iis liberaretur. Nihilominus die octauo mensis Nouembris nouum obseruatum est morbosum symptoma, lancinans nimirum ab aure altera ad alteram se extendens dolor, qui a loco malae affecto ortus ad vtramque aurem propagabatur, cui tamen medicamentis occurrere haud opus erat, quum die sequente sponte iamiam disparuisset. Ceterum amarities oris, linguae flauedo, appetitus defectus ructuumque noua emissio, quae symptomata haud dubio a vitiis diaeteticis, quae aeger commiserat, pendebant, eumque eiusdem mensis die decimo excruciabant, itidem altero iamiam die, nullis adhibitis medicaminibus, rursus euanuerunt.

Interea exanthema ipsum, quoad externam faciem, valde fuit mutatum. Loca enim eo affecta deprauatum ichorem non amplius fundebant, profluebat potius ex vlceribus pus bonum eaque excretio cum insigni ardoris sensu, quem diu noctuque aeger percepit, fuit coniuncta, sic vt somno placido frui non posset. Quamobrem, ne frictione locos affectos nimis incitaret, cerato Saturni mederi huic malo studuimus. Propinatum remedium exspectationi respondit. Loca nimirum ichoris plena sensim sensimque exsiccata et obtegeban-

6) Simile exemplum occurrit in *Schillingii* Commentationibus. Vid. lib. cit. p. 47. §. 51.

tur escharis, primum ex albido flauis, cremori lactis similibus, deinde nigrescentibus, quae sponte decidebant.

Die vicesimo quinto Nouembris e nosocomio nostro dimissus est aegrotus. Symptomata omnia, exanthema ipsum concomitantia, fuerunt remota, validaque gauisus est valetudine adolescens. Loca adeo, quae antea exanthema occupauerat, nonnisi colore rubicundiori discerni a sanis potuerunt, qui color omnibus fere cutis laesionibus, siue vulnera, siue exanthemata fuerint, primis diebus solennis esse solet.

# EPICRISIS.

## CAPVT I.

*De quibusdam exanthematibus, illi, quod descripsi, affinibus.*

Quamquam omnia propemodum quum acuta, tum chronica exanthemata inter se valde differunt, eaque quoad externam faciem et formam non minus, quam quoad colorem et decursum sibi quandoque plane opposita sunt; attamen ne nimio systemata condendi studio ducti, aut a veritate alieni videamur, haec omnia simul amplecti et, quis sit inter ea consensus, paucis exponere lubet. Iam vero ex definitione exanthematis, quam recentioris temporis medici nobis exhibuerunt, quaeque haud multum ab ea, quam in libris veterum quorundam medicorum offendimus, recedit, satis superquee lucet, eiusmodi cutis affectiones inter se vario modo conuenire. Nominasse hic sufficiat *Richterum, Nushardum* et *Haasium*, quorum primus, vbi de exanthematibus auctis in vniuersum loquitur, haec profert [1]): „*Allerdings stehen sie den Hautentzündungen sehr nahe, sind wohl selbst, wenigstens die meisten von ihnen, ihrem Wesen nach entzündlicher Natur etc.*" Similia porro leguntur in Nushardi opere [2]). *Das Wesen der meisten Hautkrankheiten besteht unstreitig*

1) *Richter* l. l. Tom. II. p. 244.

2) *Fr. W. Nushard Skizze einer Dermato-Pathologie mit physiologischer Vorbemerkung, als medicin. Inaugural-Dissertation. Prag* 1816. p. 43.

*in einer bald das Capillarnetz im Allgemeinen, oder nur einzelne Stellen, entweder alle ihre Gefäſsparthien, oder nur bestimmte derselben ergreifenden Entzündung und ist nicht das Krankheitswesen, sondern die Form, Product, Reflex derselben.*" Claris denique verbis eandem sententiam et de chronicis exanthematibus proposuit *Haasius*, qui haec habet in dissertatione [3]. „Cuius generis morborum, si quis aptam ex me quaereret definitionem, hanc eam esse dicerem: esse exanthemata omnes, quaecunque per vasorum cutaneorum inflammationem fiant cutis, siue quoad colorem eius, siue quoad formam, mutationes". Facillime exinde elucet omnibus exanthematibus, etsi ingens eorum est numerus, communes esse debere plures characteres, vtut non solum ab imperitis, verum etiam quandoque peritissimis medicis solent pro iisdem aegritudinis formis haberi [4]. Et profecto non rara sunt exempla, quae hoc, quod tuli, iudicium illustrant. Lepram tantum nomino, cuius vera notio nos adhuc latet; omnes quippe auctores, qui de ea locuti sunt, conueniunt in hoc [5]: exanthemata varia, quae ad aliam systematis nosologiae classem debuissent referri, ex ignorantia medicorum, vel ex alia caussa leprae nomine insignita fuisse. Itaque, ne nos in idem vitium incurramus, melius duximus, ex ordine exanthematum ea paucis commemorare, quae vel quoad formam et colorem, vel quoad decursum, ad illam, quam descripsi aegritudinem maxime accedere nobis visa sunt. Priusquam autem ad singula nos vertimus, monendum est, non omnia hic recenseri potuisse exanthemata, quae signis quibusdam conspicua fuerunt, quae in nostro aegro animaduertimus, sed ea tantum ex illorum numero nos elegisse, quae quoad similitudinem omnium symptomatum maxime videbantur morbo a nobis descripto analoga esse. Atque sic neque lectorum beneuolo-

---

3) *Guil. Andr. Haase* de exanthematibus chronicis in vniuersum. Specim. I. Lips. 1820. p. 1.

4) *Nushard* l. l. p. 24.

5) *Kurt Sprengel Handbuch der Pathologie. Leipzig* 1810. edit. II. p. 506.

rum patientia nos abuti, nec fines nobis praescriptos excedere existimauimus.

Initium faciamus a lepra alba, Mosaica, Graecorum ἀλφὸς λευκὸς, Hebraeorum *zaraath*, *baras*, quam antiquissimis temporibus omnium maxime saeviisse [6]) nobis traditum est, quaeque nostra adeo aetate in Arabia haud raro occurrere legitur [7]). Oriuntur in cute eorum, quos haec inuadit aegritudo, primum vitiligines depressae, albae niuis floccis simillimae, quae sensim maiores fiunt, sensu carent, ad carnem ossaque adeo descendunt, manifestamque asperitatem, dum digitis tanguntur, relinquunt. Abest rubedo a locis affectis post frictionem, augeturque malo progrediente anaesthesia ita, vt acus profundius inseri possit, priusquam doloris sensus excitetur, imo non rara sunt exempla, vbi ossa adeo omni fere sensu priuata cernebantur [8]). Profluit e laeso loco non sanguis, sed humor albescens, nonnunquam mali odoris. Vox mutatur, fit rauca, rarius acuta, subtilis. Corripiuntur ad finem pili cuti adhaerentes, laeduntur vngues, fiunt oculi fatui, nec non lacrimantes, tument glandulae et sensim sensimque narium oppilatio labiorumque erosio accedit. Mutatur sanguinis qualitas, quippe ille magis serosus et pallidus fit, oriturque saliuatio maligna. Moriuntur plerumque aegroti exorto animi stupore, vel hydrope, vel febre lenta symptomatica.

Haec signa in mali ipsius decursu, in primis si peioris vel pessimae indolis illud est, conspiciuntur. Obiter tantummodo hic moneo: de lepra quoque valere, quod in omnibus omnino morbis ob-

---

6) Levit. cap. XIII. v. 2. etc.
*Kurt Sprengel* l. c. p. 512.
*W. A. Haase über die Erkenntniss und Cur der chron. Krankh. des menschl. Organismus. Leipzig* 1820. Tom. IV. p. 352. §. 689.
*Joseph Frank* l. c. Part. I. Vol. II. p. 476. §. 133.
*J. Frank* l. c. p. 117.

7) *Jos. Frank* l. c. p. 476. §. 133.
*Niebuhr Beschreibung von Arabien* p. 119.
*Haase chron. Krankh. l. c.* p. 353. §. 689.

8) *Hensler* l. l. p. 36.

seruare licet, signa nimirum, quae enumerauimus, non in quauis leprosa affectione occurrere, sed quandoque vnum, alterumue eorum desiderari. Ceteroquin, qui accuratius hancce leprae formam expositam legere velit, euoluat praesertim *Auicennam* 9), *Ouseelium* 10), *Rusmeyerum* 11), *Wedelium* 12), *Withofium* 13) *Schillingium* 14), *Henslerum* 15), *Michaelem* 16), *Willanium* 17), *Ios. Frankium* 18), *P. Frankium* 19), *Richterum* 20), *Haasium* 21), *Winerum* 22) aliosque, qui plura de ea collegerunt nobisque reddiderunt cognita.

Liceat nunc nobis ex omnibus, quae recensuimus, signis ea eligere, quae cum nostro morbo conueniant, vt patefiat, iure meritoque ex affinibus exanthematibus hoc primum fuisse nominandum. Ac primum quidem similitudinem esse inter vtrumque morbum testantur verba: quamcunque lepram albam incipere a vitiligine alba, quae sensim sensimque crescat partesque propinquas corripiat adeoque vastet. Aderant etiam in nostro casu maculae albae, quae crescebant ambitu, inuadebant non solum epidermitem, sed cutem adeo ipsam, in qua haud raro maligna obseruabantur vlcera. Non eminebant hae maculae, sed magis visae sunt depressae, non adaugebatur sensus in partibus adfectis, diminuebatur potius, siquidem acus profunde infigi poterat, priusquam dolor percipiebatur sanguinisque animaduertebantur vestigia. Sanguis in vtroque casu muta-

9) Canon. lib. IV. fen. 3. tract. 3. cap. 1. fen. 7. tract. 2. cap. 7.

10) Dissert. de lepra cutis Hebraeorum. Francof. 1709.

11) Dissert. de lepra Mosaica seu legali. Gryphisw. 1723.

12) Programm. de lepra in sacris. 1715.

13) Programm. de leprosis veterum Hebraeorum. Duisburg. 1750.

14) l. l.

15) l. c.

16) *Mosaisches Recht* Tom. III. *Frankf. a. M.* 1776.

17) l. l.

18) l. c.

19) l. l.

20) l. c.

21) l. c.

22) *Biblisches Realwörterbuch. Leipzig* 1820. *v. Aussatz.*

tus cernebatur, nec deerat et in nostro adolescente vocis alienatio. Ceterum fuisse humorem, qui e locis vlcerosis aegroti profluebat, pessimae quoque indolis, exinde elucere videtur, quod cuicunque parti ille admoueretur, inflammationem excitabat, quae paulo post in simile transiit vlcus.

Iam commemoratis grauissimis signis, quae testantur inter lepram albam et nostrum exanthema analogiam locum habere, paucis adhuc monendum est, lepram albam nil, nisi peiorem esse vitiliginis formam, transitumque alterius morbi in alterum tam tenuem atque obscurum esse, vt primum stadium leprae albae ab vltimo vitiliginis albae stadio vix ac ne vix quidem differre videatur. Quod iam exinde prodire putem, quod morphaea alba praecedit lepram albam [23]) quodque vtriusque morbi nomina plures auctores inter se vel commiscuerunt, vel plane non a se inuicem distinxerunt, vel adeo verbis, quibus vsi sunt, ea, quae dixi, confirmarunt [24]).

A lepra alba ad morphaeam nigram, vitiliginem nigram, ἀλφὸς μέλας Graecorum, transeo. Atque haec quidem aegritudo maculis eiusdem, ac vitiligo alba, magnitudinis iisque interdum serpentibus atque in cute sedem suam occupantibus se prodit. Color earum ad nigrum declinat, vel, vt cum Celso loquamur, vmbrae similis videtur [25]). Superficies autem est aspera eaque non eminet in cute, furfuribusque vel sponte, vel post tactum desquamatur. Rubet post frictionem locus, maculis obsessus; disparent redeuntque periodice mali impetus coniunctumque illud est cum anaesthesia, quam pruritum antecessisse narrant. Antiquissimis temporibus non rarius quam albam morphaeam inuasisse homines *Henslerus* [26]) auctor est, qui simul contendit, iuuenili praecipue aetati propriam fuisse hancce formam, eamque in grauiores leprae species ex culpa medentium

---

23) *Jos. Frank* l. l. p. 477. §. 133.
24) *Hensler* l. c. p. 45. 104. 103.
25) *Hensler* l. l. p. 48.
26) *Hensler* l. d. p. 47.

aut aegrorum ipsorum transiisse [27]). Haec fere sunt grauiora morphaeae nigrae signa, quae si quis accuratius enarrata legere velit, adeat praesertim laudatum *Hensleri* opus et *J. P. Frankium*. Ceteroquin dignum notatu mihi videtur, pauca solummodo de hacce macularum specie in scriptis medicorum tradita esse, auctoresque, qui de ea commentati sunt, statim hunc morbum morphaeae albae adnectere [28]).

Quum itaque morphaea nigra cum alba vbique fere conueniat, eaque ab hac differat solummodo et colore et transitu in alios morbos, nostrum quoque casum nigrae morphaeae valde similem esse, quisque lubenter profitebitur. Conspiciuntur enim in vtroque morbo maculae laeuigatae, serpentes, quae periodice disparent redeuntque, sociatae eae sunt ab initio cum pruritu, quem paulo post anaesthesia sequitur, crescit tempore mali vehementia. Imo in nigra morphaea signum videmus, quod grauioris est momenti, quodque in alba huius morbi forma adeo desideratur: propriam nimirum eam esse aetati iuuenili, in quo vitae stadio etiam noster aegrotus versabatur.

Iam paucis adtingo rarius occurrentis exanthematis formam, quae quum et leprae affinis videatur et aliquo modo cum cutis morbo, quo noster aeger laborabat, similitudinem habeat, hic silentio haud est praetereunda. Obseruauit illud malum *Ill. Clarus* [29]) in ancilla, quae si variolas exceperis, nullum alium morbum passa et anno aetatis decimo septimo primam menstruationem experta erat. Haec virgo anno aetatis vicesimo secundo corripiebatur febre intermittente tertiana, quae aptis per breue tempus adhibitis remediis ita cedebat, vt vere sanata e nosocomio dimitteretur. Mox autem, quum necessitate coacta, per vndecim septimanas interdiu noctuque sub dio ea vitam degisset, rediit febris, quae tamen rursus sponte

27) *Hensler* l. d. p. 50.

28) *Ibidem* p. 47.

29) *Clarus Annalen des königl. Institutes am St. Jacobshospital in Leipzig. Leipzig* 1812. Tom. I. Sect. II. p. 211. etc.

disparuit. Hoc autem tempore ab vrbani magistratus famulis propter inhonestam viuendi rationem, cui se dederat, arrepta, et, quum leucorrhoea et vlcere syphilitico ad frenuli regionem, quod intra has demum septimanas sibi contraxerat, laboraret, denuo in nosocomium nostrum translata est. Porrigebatur aegrotae ab initio mercur. solub. *Hahn.* et externe aqua phagadaenica adhibebatur, serius autem instituebantur frictiones, qua medendi methodo effectum est, vt omnia aduersae valetudinis signa sensim sensimque euanescerent. Interea tamen in vultu et potissimum in naso, fronte, et ore, plures efflorescebant lentiginosi, molles et insensibiles tumores, qui albis tegebantur squamis, magis in latitudinem crescebant, crustasque albas, dimidiae circiter nucis iuglandis magnitudine, relinquebant. Profluebat nonnumquam e laesis partibus humor ichorosus in iisque insignem pruritum percipiebat aegra. Vultus erat tumidus, pallidus, oculi lacrimantes, vox debilis, aspera, respiratio impedita, et perspiratio cutanea pus redolebat. In reliquo corpore vix mutatio a norma recedens obseruabatur. Decidebant externorum remediorum vsu sensim sensimque crustae, quibus remotis profunda et marginibus serratis inflexisque praedita vlcera in conspectum veniebant, quorum fundus colore rubro caeruleo tinctus erat. Redibant serius vlcuscula lenticularia, quae in suppurationem non transibant, et intra breue tempus rursus desinebant.

Lubet nunc symptomata, quae communia habuit hoc exanthema cum cutaneo morbo nostri aegroti breuiter repetere. Atque inter ea quidem anaesthesia, locorum affectorum crustarumque, quae in vtroque casu aderant, indoles, nec non humoris deprauati, quem fundebant loci affecti post separationem spontaneam crustarum, genesis pertinent. Vlcera nunc exorta videbantur colore rubro-caeruleo tincta, esse, eaque satis profunde sedebant, margines ostendebant serratas et inflexas. Redibat porro vterque cutis morbus periodice, isque erat cum mutatione vocis et respirationis difficultate

coniunctus, vtut reliquae corporis actiones secundum normam procedebant. Similitudinem denique quoad aetiologiam animaduertere licebat; vterque enim aegrotus et veneri indulserat nimium et atmosphaerae mutationibus saepius fuerat expositus, quae caussae, vt postea videbimus, plurimum ad malum grauius reddendum contribuisse videbantur.

Huic descriptioni breui denique addo eam leprae formam, quam Schmalzius psoricam nominat [30]), quae medium quasi locum inter lepram et psoriasin tenet. Occupat ea praesertim extremitates corporis, nonnunquam tamen etiam totum corpus ea afficitur. In maculis nimirum pruritus sentitur, eaeque haud raro cum morbo interno sociatae sunt et sensim ad alios locus serpunt; cutis fit aspera, tensaque; oriuntur tenaces, albescentes, quandoque nigrescentes seu flauescentes crustae, quae sub forma corticum aut squamarum decidunt, et in cute inferiori sanguinolentas et vlcerosas fissuras relinquunt. Redeunt saepius tales crustae, quae nonnunquam omni omnino sensu carent.

Quodsi hoc malum cum nostro conferimus casu, magnam inter illud et hoc, quoad symptomata, analogiam intercedere apparet. Nam et nostrum malum extremitates prae primis occupauerat, seu originem inde duxerat suam. Comitabatur exortas maculas ab initio pruritus sensus, eaeque ex parte corporis statum sensim sensimque pessumdabant, serpebant et cutem evehebant. Progerminabant nunc crustae flauescentes seu nigrescentes, quae pari, quo in lepra psorica, modo decidebant subiacentesque partes fissas, sanguinolentas, vlcerosasque ostendebant. Saepius denique et in nostro adolescente recruduit malum sensuque caruerunt loca temporis progressu.

Atque haec de leprae quibusdam formis dixisse sufficiat. Re-

---

30) *C. G. Schmalz Versuch einer medic. chirurg. Diagnostik in Tabellen, oder Erkenntniss und Unters. etc. Dresden* 1816. 3te *Aufl. S.* 236.

liquae enim cutis aegritudines, quae ad lepram relatae a quibusdam sunt, a nostro casu magis recedunt; et quamquam vnum alterumue signum cum nostro morbo commune habent, tamen symptomatibus quibusdam aliis conspicuae sunt, quibus ab hoc facile possunt dignosci. Iam ex chronicis exanthematibus ea eligam atque paucis describam, quae nostro casui affinia esse, et cum eo facilius commutari posse videntur.

Primum autem hic nomino psoram, quam in *Willanii* opere in eundem cum lepra ordinem relatam legimus [31]). Verba huius auctoris sunt haec: „psorae nomen ex graecis medicis duplicem morborum formam comprehendit, quorum altera vlcera pustulosa (ψώρα ἑλκώδης), altera squamulas seu crustas (ψώρα τραχυτέρα, λεπρώδης) ostendit.“ De posteriori forma tantummodo in hoc capite *Willanus* loquitur, quam proprio nomine psoriasis insigniuit, cuius originem in adiecta annotatione accuratius defendere conatur [32]). Recensitis grauissimis speciebus, exhibitaque definitione, incipit Clar. Vir cum psoriasi guttata, cuius haec fere sunt symptomata pathognomonica: progerminant maculae paruae, deinde squamosae, quae vel plane nulla, vel admodum leui inflammatione circumdatae sunt. Forma earum est vel angularis, vel serpens, eaeque occurrunt maxime in ceruice, pectore et brachiis, nonnunquam etiam in vultu, imo obseruatum aliquando est, iis omnem corporis superficiem obsessam fuisse. Squamulae exortae sunt tenues, discedunt facile a cute relinquuntque superficiem splendidam, rubescentem. Celerrime plerumque apud infantes prorumpit hoc malum, tardior est eius origo in adultis, incipit ab extremitatibus, serpit lente, evanescit, reditque rursus. Affine est leprae [33]), et similitudinem quandam habet cum psoriasi syphilitica, quae tamen rarioribus squamis varioque co-

31) *Willan* l. c. p. 111—138. Tom. III.

32) *Ibidem* l. l. p. 112.

33) *Ibidem* l. c. p. 114.

lore, quod ad cutis conditionem attinet, ab ea differt. Vtramque formam vberius expositam apud *Willanium* et *Schmalzium* legimus [34].

Iam etsi minor est consensus inter psoriasin guttatam et exanthema a nobis descriptum, varia tamen in vtraque hac aegritudine adesse mihi videntur symptomata, quae sibi similia sunt. Affectae enim in nostro iuueni erant partes, quae in psoriasi guttata plerumque male se habent, sociabatur cum maculis exortis inflammatio maculaeque ipsae erant irregulares et serpentes. Natae squamulae in vtroque aegroto facillime separari ab vlcusculis poterant, relinquebantque in cute ruborem. Tardior in vtroque fuit origo, euanuit rediitque exanthema variis temporibus et post varia in ratione medendi commissa vitia. Praeterea etiam in vtroque casu parum sollummodo perturbatur reliqua corporis conditio. Ceterum probatur eorum, quae dixi, veritas *Willanii* verbis, qui haud leuem esse similitudinem inter lepram et psoriasin guttatam contendit et vtrumque malum ad eundem ordinem retulit [35].

Guttatam nunc psoriasin excipiat ea eiusdem generis forma, quam diffusam vocant, quaeque itidem digna est, cuius hic seorsim mentio fiat. Corripit hoc malum plerumque vultum, manus et superiorem pedis partem, efflorescit sensim sensimque, rarius vno impetu, maculae magnitudine superant eas, quibus guttata psoriasis conspicua est, eaeque sunt irregulares, rubrae et asperae. Adest simul pruritus malumque indies latius serpit et diffunditur. Prorumpunt in maculis squamulae paruae, quae in medio nigrescunt et illis adhaerent, marginesque albescentes dissolutas ostendunt. Vbi sqamae euanuerunt, prodit cutis diu rubescens et splendens, quae si laesa fuerit, lympham tenuem cum sanguine mixtam fundit, ex qua deinceps nouae squamulae, nonnunquam crustae prodeunt. Hoc quoque

34) *Schmalz* l. l. p. 236.

35) *Willan* l. l. p. 114.

exanthema periodice erumpit et euanescit. Coniunctus plerumque primus impetus est cum capitis dolore, appetitu deprauato, nausea, extremitatum frigore, et spasticis affectionibus totiusque corporis lassitudine. Haec sunt diffusae psoriasis grauiora symptomata. Accuratiorem si quis cupiat descriptionem, peruoluat necesse est *Willanium* et *Schmalzium* [36]).

Symptomatum similitudo, quae huic exanthemati cum illo, quo noster aegrotus laborauit, intercedit, ex iis, quae disputaui, facillime elucet. Conueniunt quippe in hoc, quod in iisdem locis cutaneus habitus afficitur; deinde eruptio non fit vno impetu, sed vario tempore, adest tum pruritus, capitis dolor, appetitus deprauatus, spasmodica affectio, totius corporis lassitudo. Serpit malum locaque prius eo obsessa splendent, rubent. Profluit e diffusa psoriasi haud raro lympha sanguinea, malae indolis, cuius simile signum et in nostri aegroti legimus historia, denique periodice recurrit eruptio. Addo similitudinem, quae inter vtrumque exanthema locum habet, si *Willanii* tabulam XII. cum nostra exanthematis forma comparetur.

Ad classem exanthematum, quae nostro morbo affinia sunt, etiam herpes meretur referri, qui, vt notissimum est, quoad formam et decursum admodum variat. Ex huius affectionis formis lubet eas paulo accuratius contemplari, quae prae ceteris cum nostri aegroti malo conuenire videntur. Atque hae quidem illae sunt, quae miliaris et phagadaenica appellantur.

Miliaris seu pustulosus, phlyctaenodes herpes, formica miliaris, corripit cutem profundius, quam simplex aut farinosus. Incipit plerumque, postquam symptomata praegressa sunt, quae gastricum indicant statum ortaque inflammatio est, magno cum pruritu, ardore, tensione, interdum etiam tumore partium et phlyctaenis, ad basin roseo, ad apicem subalbo colore tinctis, quae vel sponte decidunt,

36) *Schmalz* l. l. p. 236.

vel scalptu rumpuntur. Effluit ex laesis partibus ichor acer, haud raro graueolens, qui in crustas, aut squamas variae formae et coloris transit, et partes propinquas laedit, inflammat atque sic mali propagationi fauet. Prorumpit exanthema in omni fere corporis superficie et pro loci, quem occupat, diuersitate varia illud ab auctoribus accepit nomina. Saepe chronicum est malum, amat periodicos insultus, diu durat nunc in eodem, nunc in alio loco, imo quandoque in pluribus corporis partibus simul saeuit. Duas prae primis huius herpetis formas *Alibertus* adducit, quarum altera squamosa, altera crustacea vocatur, cuius vtriusque differentia ex ipsa denominatione satis superque elucet.

Consideremus paulo accuratius hanc herpetis formam, instituamusque inter eam et morbum, cuius obseruationem ab initio exposuimus, comparationem. Quamquam enim negari non potest, parum tantum, si a status gastrici prodromis, pruritque discesseris, inter se conuenire haec exanthemata, in primis si ad originem respicitur; plus tamen similitudinis habere videntur cum malo, dum increscit latiusque se explicat; quippe si in hoc stadio adhuc est, facile alterum cum altera potest confundi. Effluebat enim in nostro etiam casu ex laesis partibus ichor acer et foetens, cuius tanta erat acrimonia, vt partes propinquas, quas attigerat, laederet, inflammationem in iis excitaret morbumque hac via magis magisque propagaret. Porro periodos seruabat exanthema; comparebatque nunc in eodem loco, nunc in pluribus simul. Analogiam denique locum habere, confirmat et medicorum auctoritas, qui hancce formam nonnunquam cum lepra conuenire scripserunt [37]). Ceterum vix opus est, vt commemorem, ea, quae hic dicta sunt, ad formam herpetis miliaris crustacei solummodo pertinere.

Alius, isque multo peior herpes est is, quem rodentem, exe-

---

37) *I. P. Frank* l. l. lib. IV. p. 77. — *I. Frank* part. I. vol. II. p. 440. et 449.

dentem, depascentem, phagadaenicum, aut malignum, immo etiam formicam corrosivam et lupum voracem vocarunt, cuius haec sunt symptomata praecipua. Praecedunt eum fere iidem prodromi, gradu tamen a priori forma differt. Progerminat primum in loco inflammato pustula, quae mox disrumpit, humoremque acrem, partes vicinas rodentem atque exulcerantem, fundit, qui deinde in crustas abit, quae decidunt, mox autem restituuntur; vlceris margines amplificantur tandemque languescunt. Profundius cuti insidet, quam miliaris species, systema adeo glandularum lymphaticarum, ossaque ipsa aggreditur et male afficit. Rarius per se existit, complicatus plerumque animaduertitur cum scrophulis, scorbuto et lue venerea, quae mala diagnosin obscuram et curam molestiorem reddunt. Faciem prae ceteris occupat hoc malum, neque tamen desunt observationes, quae testantur, illud etiam in aliis corporis partibus sedem fixisse suam.

Quum cutaneus morbus, quem supra descripsi, ex parte herpeti miliari non plane absimilis fuerit, et vtriusque exitus ostenderet, alterum alteri affinem esse, phagadaenicum quoque herpetem morbis, qui cum nostri aegroti exanthemate conveniant, annummerandum esse patet. Atque huius sententiae veritatem, gradu solummodo inter se differre has affectiones, ea, quae antea sunt, ita probant, vt non opus sit, pluribus argumentis eam confirmare. Id vnum addere mihi liceat, maiorem esse affinitatem inter hunc herpetem et nostrum exanthema, idque inde inprimis elucere, quod vlcera diutius maligna ostendit, nec raro cum scrophulis coniunctus prodit.

Non vereor, ne lectorum beneuolorum patientia nimis abuti videar, si breuiter descriptis exanthematibus vnam adhuc aegritudinis cutaneae formam adiiciam, cuius mentio facta est in *Aliberti* Celeberrimi opere [38]). Priusquam autem grauissima huius affectionis

38) Mémoires de la societé médicale d'émulation, séante à la faculte de médecine de Paris, pour l'année 1816, huitième année 2. partie p. 744—752.

symptomata pathognomonica recenseam, monendum est, pauca quidem vtrique malo communia esse signa; attamen quum aliquam similitudinem me inter vtrumque inuenisse persuasum mihi habeam, non abs re esse puto, paucis mentionem illius ab *Aliberto* descripti morbi iniicere. Vocauit primum auctor hanc exanthematis formam *Cancroide*, quod nomen, quum facillime cum cancro confundi possit, deinde in *Cheloide* transmutauit. Hoc autem nomen ab animalibus e cancrorum genere derivatum est, quae pedibus suis varie formatis in aqua serpere magis, quam nare traduntur; censet enim auctor, externas morborum formas omnium optime ex similitudine, quam cum rebus satis cognitis atque frequenter occurentibus habent, constitui posse. Medium quasi tenere locum scribit auctor hoc exanthema inter tegumentorum cancrum et herpetem, eiusque decursum esse fere hunc. Oritur saepissime tumor tantum unus, rarius plures; forma eius modo rotunda, modo ovata, modo oblonga est, color autem rosaceus, splendidus ex lineis albis diuergentibus intertextus. Arcte adhaeret cuti, cuius colorem ita mutat, vt ea cicatrici, qualis in ambusta cute conspicitur, similis sit. Media tumoris pars foueam ostendit paruam, margines pallescunt plerumque, nonnunquam tamen magis rubent. In hoc statu malum per multos annos haud raro manet, negligunt illud saepissime aegroti, seu plane illius obliuiscuntur. Quandoque tamen occurrunt exempla, quae docent, celeriorem illud progressum facere. Tunc autem tumoris margines incipiunt ad propinquas partes serpere, variasque assumunt formas, ita vt vel appendices vermiformes referant, vel polypos, vel crucem, vel pedes cancrorum aemulentur; atqui haec forma omnium frequentissima est nominique originem dedit. Simul augetur calor in partibus affectis adestque dolor pungens, lancinans, qui noctu praecipue aegrum excruciat, eiusque statum tristissimum reddit. Obuenit malum maxime in sexu sequiori, corripit frequentissime locum inter mammas, serpit ab his ad alias partes et prorumpit denuo cum vehementiori do-

lore. Ceterum reditui mali variae fauent caussae: nam obseruatum est, quandoque tempestatis vicissitudines, quandoque instantis menstruationis stadium, aut mutationem quandam maioris momenti, quae in corpore locum habuit, effecisse, vt exanthema rursus compareret. Functiones animales in eiusmodi aegrotis bene procedunt et corporis partes in vniuersum parum vel plane non laeduntur. Operatione huic malo mederi studuit auctor; sed tantum abfuit, vt fine suo potiretur, vt exanthema, etsi pluries culter chirurgicus fuisset applicatus, semper cum eadem vehementia rediret. Haec fere est, quam *Alibertus* exhibuit, huius aegritudinis descriptio.

Priusquam autem Cheloidis cum morbo exanthematico, de quo supra retuli, comparationem instituam, liceat mihi ex illis obseruationibus, quas Vir Celeberrimus cum lectoribus suis communicauit, eam, quam sub finem enarrauit, et quae plus minusue ab antecedentibus recedere videtur, paucis repetere. — *Fr. Barthol. Coton*, temperamento sanguineo praeditus et matre sana et robusta, patre autem herpete squamoso diu laborante, natus, anno decimo sexto aetatis in morbum incidit, qui brachia potissimum occupabat. Progerminabant quippe in vtroque brachio plures tumores, qui suppurabant, et materiam flauam, tenuem continebant; magis magisque ii maiores fiebant, ex iisque duo corpora cylindracea in antibrachio gignebant. Hae excrescentiae, quae quasi pustulas referebant, obducebantur corticibus, qui sponte decidebant foueasque seu vibices rubescentes easque diu in cute conspicuas et serpentes coloremque mutantes relinquebant. Ceterum saepius recruduit hoc malum illudque nonnunquam concomitati sunt vehementissimi dolores.

Videamus nunc, quae sit inter hoc exanthema et illud, quo noster aeger laborauit, analogia. Et quidem origo iam probat, alterum alteri aliquo modo simile esse. Locus enim affectus et in nostro casu rubescebat, rubedo autem lineis albis erat distincta, mutabat porro cutis nonnunquam colorem, in media parte fouea cer-

nebatur et margines, vel pallido, vel rubicundo gaudebant colore. Gignebatur in vtroque aegroto materia purulenta, eaque excitabat crustas, quae sponte decidebant, cicatricesque seu vibices diu durantes formabant. Margines magis magisque assumebant formam, quae cum illa fere conueniebat, quam in nostro casu obseruabamus. Quaelibet noua mali eruptio cum nouis coniuncta erat doloribus, crescebat malum cum tempestatis vicissitudine. In feminis locus mali pectus erat, apud viros e contrario brachia corripiebantur. Periodice denique in vtroque casu eruptio redibat, reliquus corporis status manebat integer. Ceterum neutri exanthemati operatio vsum attulit.

Sufficiat has exanthematum nominasse formas, quibus, si quis et alias adnectere velit, non deerit profecto illi locus.

---

## CAPVT II.

### *Morbi aetiologia.*

Quum humano ingenio nihil fere acceptius, nihil honestius esse possit, quam grauiorum atque celebriorum factorum euentuumque cognoscere caussam, atque originem; medicis quoque ab antiquissimis inde temporibus ad nostram vsque aetatem maximi semper momenti res fuit, morborum caussas indagare et detegere, detectasque inter se camparare atque inde corollaria deducere. Alebatur profecto hoc studium inter salutaris artis peritos, quum indies, experientia ducti, animaduertissent, nil magis adiuuare morborum curationem, quam diligentem caussarum inuestigationem, nec vllius prouerbii veritatem probare artem medicam magis, quam huius „cessante caussa, cessat effectus.“ Quamquam autem Aesculapii disci-

puli summa semper cura phaenomenorum et symptomatum, quae in viuo homine eueniunt, caussas rimari studuerunt; saepius tamen eo, quo tendebant, peruenire haud potuerunt, quum remouendis omnibus, quae se ipsis opponebant, difficultatibus essent impares, atque ita impedirentur, quo minus, quid verum sit, inuenirent. Quae ex hac potissimum caussa remora progressui vtilissimae artis fuerit iniecta, satis constat. Iam vero, quum, quantum valeat caussarum morborum studiosa inuestigatio ad penitiorem eorum indolem atque naturam detegendam, notissimum sit, mei esse officii duxi historiae enarratae breuem addere aetiologiam, eamque aliorum, si fieri potest, confirmare placitis. Ne autem artificiosarum hypothesium condendarum nimis studiosus fuisse videar, iis praemissis, quae proximam caussam concernunt, ea tantummodo hic spectare constitui, quae conueniant veritati, quaeue et in aliis similibus exanthematibus, de quibus hic et illic relatum est, locum habuerint. Sed vt ordine quodam procedat sermo noster, dicemus primum de caussa mali proxima, et deinde praedisponentium, tandemque occasionalium caussarum facturi sumus mentionem.

Priusquam autem sententiam meam proferam, non possum non monere, me opinionem veterum medicorum de leprae (cum qua omnino similitudinem habuit nostrum exanthema) proxima caussa amplecti haud posse. Antiquitatis enim populi, praecipue Graeci, deorum irae malum tribuebant, et medici veteres a vitiis quatuor humorum [1]) et praecipue ab atra bile [2]) illud repetebant; quae sententia eum plausum tulit, vt plurium seculorum auctoribus placeret ab iisque defenderetur. Quum autem obliuioni traditum fuisset systema, quod placito de humorum a normali statu aberratione eorumque in

1) *Constantinus Africanus* de morborum cognitione et curatione lib. VII. *Gordonius* lilium medicinae cap. XX. pag. 196.

2) *Galenus* et *Ebn. Sina.* vid. *Hensl.* l. l. in excerptis 5. 6. et 7.

corpus humanum noxiis effectibus innitebatur, parum solliciti fuisse videntur medici de inuenienda caussa leprae ac vitiliginis [3]; etenim quae occurrunt in eorum scriptis de hac re, ita sunt obscura, vt *Ios. Frankius* exclamet [4]: „nostram hac in re ignorantiam plane fatemur.“ Arridere itaque cuiuis debet sententia *Haasii* de proxima leprae caussa, qui contendit in inflammatione eam consistere, simulque varia profert argumenta, quibus hanc opinionem confirmare adnititur [5]. His potioribus medicorum celeberrimorum de vitiligine et lepra quoad caussam proximam iudiciis expositis, meam quoque de ea re sententiam nunc proferre liceat. Videtur mihi ex acido sulphurico et muriatico, eorumque in organismum actione, principium quoddam fuisse euolutum, quod, a vasis lymphaticis resorptum et in corpore sensim dispersum, lentam inflammationem procreauerat, qua deinceps simile quasi principium fuit genitum, quod, postquam per temporis aliquod spatium in cicatrice saeuiisset, a vasis propinquis denuo exceptum malo vlterius propagando materiam praebuit. Omitto hic de acidorum effectu dicere, quorum inter caussas occasionales mentio quam maxime facienda est, quum hic loci tantummodo de statu inflammatorio cutis eiusque et producto et occulto decursu disputem. Et quod ad inflammationem cutis actinet, hanc neminem et in nostro casu posse negare, exinde iam satis clarum est, quod pathognomonica phlogoseos signa, dolor, calor et rubor, hic quoque animaduertebantur. Quamquam enim dolor exanthemate exorto et ad maturitatem, si ita dicere licet, perducto breui praeterlapso tempore euanuit, veraque in affecto loco adfuit anaesthesia, semper tamen doloris sensus praecedebat, margines magis magisque rubescebant, sensibilitatemque adauctam ostendebat. Quae opinio magis confirmari videtur, si perpendimus, huius quoque inflammationis exitum in vlcerationem pathognomonicum

3) *W. A. Haase* l. l. p. 371. §. 701.
4) *I. Frank* l. d. p. 491. §. 134.
5) *W. H. Haase* l. c. p. 371. §. 701.

signum phlogoseos sistere, id quod etiam probatur *Nushardi* et *Haasii* auctoritate [6]. Singularis autem naturae fuisse materiam hancce purulentam, testatur eius indoles; namque cuicunque ea cutis parti admoueretur, leuem ibi inflammationem excitauit, quae eundem ac malum ipsum percurrebat decursum. Qualis vero fuerit, quibusue principiis constitutiuis a similium exanthematum cum acutorum, tum chronicorum ichore chemice discrepauerit, definire nec potui, nec volui; quippe expertum habemus, chemica tentamina, cum effluente ex variis exanthematibus liquore eam ob causam instituta, vt nobis interior eius mixtio patefieret, eum fructum, quem ab iis exspectabamus, adhuc non tulisse, neque ea nobis pandisse viam, qua sit eundum, si mederi eiusmodi malo laborantibus aegris velimus [7]. Caussa denique, cur malum progressus faceret et quasi serperet, in vasis lymphaticis quaerenda esse videtur. Quum enim omnibus notum sit, cutem quoque absorbendi vi gaudere [8], in nostro aegro materiam purulentam vasis cutaneis exceptam partibusque propinquis adductam fuisse, haud vllum dubium est [9]. Similis namque euentus in herpete, syphilite, carcinomate, gangraena et nonnunquam adeo in febri putrida locum habet, et haud raro non nisi ex hac caussa topicum aliquod malum in vniuersale transit. Periodicos autem exanthematis fuisse impetus, nobis mirum esse non potest, quum experientia edocti sciamus, cuiuscunque morbi originem certum quoddam stadium habere, inflammationesque chronicas nonnunquam cessare et denuo redire, cuius rei exempla videmus fere in omnibus phthiseos formis, vt et in aliis aegritudinibus, ad quas in primis chronica exanthemata sunt referenda, quorum

---

6) *Nushard* l. d. p. 46.
*Haase* l. l. p. 372. et §. 701.

7) *Nushard* l. d. p. 47.

8) Haec cutis virtus, iam *Galeno* et *Hippocrate* nota, *Eustachii*, *Veslingii*, *Bartholini*, *Ruyschii*, *Monroii*, *Hunteri*, *Cruikchankii*, *Mascagni*, aliorumque obseruationibus satis superque est confirmata.

9) *Hensler* l. l. p. 132.

periodicae eruptiones specificis eorum symptomatibus a pluribus auctoribus adnumerantur [10]).

Progredior ad disponentes morbi nostri caussas. Et de his quidem iam antiquissimis temporibus varii scriptores accurate exposuerunt, quum saepius animaduersum fuisset, eas ad morborum genesin semper multum valuisse eorumque ortum haud raro iis solis fuisse adscribendum. Et profecto praedispositionis vis in chronicis morbis quam maxime debebat innotescere iis, qui medendi artem exercebant, siquidem in his affectionibus longius prodromorum stadium vt plurimum est, quam in acutis, eaeque fere nunquam contagiis ortum debent, quae, vt notissimum est, neque aetati aut temperamento, neque sexui aut constitutioni parcunt. Ex caussis vero praedisponentibus, quae in nostro casu locum habuerunt, nomino primum diathesin scrophulosam. Scrophulas autem prae aliis morbis valde afficere systema reproductiuum, neminem fugere potest, qui perpendet, quae et quam grauia sint symptomata, quibus saepe haec corporis constitutio occasionem praebet. Vasa enim lymphatica officio suo non rite funguntur, oriunturque stagnationes in glandulis meseraicis, quae haud raro in indurationem abeunt. Laeduntur porro mali progressu viscera nobiliora, eaque tumida fiunt, indurantur et in suppurationem abeunt. Accedit denique versus finem mali affectio hydropica, vel febri lenta moriuntur aegroti. Atqui haec diathesis etiam in nostro adolescente haud exigui momenti fuisse videtur, quae tamen, si celeriores fecisset progressus, nec iuuenilis aetatis, in qua aegrotus versabatur, vigore coërcita fuisset, malum haud dubio multo grauius atque pertinacius reddidisset. Itaque fortasse ad scrophulorum corporis habitum referenda sunt ex parte auc-

10) *W. A. Haase* l. l. p. 179. §. 582. — Leguntur porro similes leprae et vitiliginis obseruationes in *I. P. Franckio* l. d. p. 114. — *Schillingio* l. l. p. 10. §. 10. p. 12. §. 13. p. 15. §. 13. — *I. Franckio* l. l. p. 332. — *Henslero* l. c. p. 135. 146. 274. 208. — *Willanio* l. c. p. 91. et 182. etc.

ctorum verba, qui de diathesi innata loquuntur [11]). Ceterum non desunt obseruationes, quae dictis fidem faciunt, vt ex iis, quae *Sprengelius*, *Richterus*, et *Haasius* nobiscum communicarunt, satis elucescit [12]).

Temperamentum porro phlegmaticum, quod adolescenti nostro proprium erat, ad mali originem et progressum, quem fecit, aliquid contribuisse putem, siquidem quotidiana nos docet experientia, debilitari temperamento phlegmatico irritabilitatem et energiam partium solidarum, illudue fauere omnibus omnino systematis lymphatici affectionibus, e. c. blenorrhoeis, hydropi, exanthematibus etc. Et quamquam nihil profecto de efficacitate, quam temperamentum in hanc impetiginis formam exercet, ab auctoribus commemoratum video, eorum tamen, quae dixi, veritatem, ii hactenus confirmant, quod inter caussas occasionales etiam animi pathemata referunt, quae eodem, quo temperamenta, modo, quamuis celerius, eiusmodi morbos gignere posse dicuntur.

Maior deinde sexu in masculino, quam in feminis ad lepram obseruatur inclinatio. Quam opinionem eo quoque maxime confirmatam video, quod eunuchi aut nunquam corripiuntur hoc morbo, aut saltem, si eo afficiuntur, tam grauia, de quibus alii conqueruntur viri, haud experiuntur symptomata [13]).

Restat denique vt in recensu caussarum praedisponentium etiam vitae stadii mentionem iniiciam, in quo aegrotus versabatur, quum primum malum erumpebat. Agebat enim tum annum decimum sextum, qui, vt notum est, inter ineuntis pubertatis annos in septen-

---

11) *Schilling* l. l. p. 28.
*Willan* l. d. p. 96.
*I. P. Frank* l. d. p. 121.
*I. Frank* l. c. p. 489. et 134.
*W. A. Haase* l. c. p. 372. §. 702.
12) *K. Sprengel* l. c. p. 507.
*Richter* l. l. p. 463. et 464.
*W. A. Haase* l. c. p. 373. §. 703.
13) *Gordonius* l. c. cap. 22. p. 95.
*I. P. Frank* l. l. p. 123.
*I. Frank* l. c. p. 490.
*Richter* l. c. p. 461.
*Haase* l. d. p. 372. §. 702.

trionalibus regionibus adhuc numeratur, quique, vt in nonnullis legimus auctoribus, leprae origini magnopere dicitur fauere [14]).

Commemoratis iis, quae ad proximam caussam morbi, de quo loquor, vt et ad dispositionem, quae in corpore nostri aegri aderat, pertinent: superest, vt de occasionalibus caussis, quas excitantes nonnulli appellant, quaedam addam. Et ad has quidem refero nimium veneris et spirituosorum potuum usum, refrigerium item et combustionem ab acidis factam.

Nimium concubitus exercitium quam maxime pessumdare systema reproductiuum, omnes artis periti vno ore fatentur. Nolo hic cunctas abnormes mutationes, quae laesae reproductionis effectus sunt, recensere, quum eos nominasse sufficiat, qui in exanthematicis aegritudinibus conspicui sunt. Concubitum autem eumque praesertim impurum, variis cutis morbis producendis ansam suppeditare, vel sola venerea infectio testatur, quam persaepe exanthemata maculosa, herpetica, scabiosa etc. insequi assolent. Hinc dubitari nequit, leprae etiam genesi eam ipsam caussam fauere. Etenim si perpendimus, eos, qui nimis proni in venerem sunt, haud raro leproso aut vitiliginoso affici exanthemate [15]), illud potissimum in primo pubertatis stadio erumpere, et cum mali huius progressu desiderium coitus increscere, eunuchos autem vel plane liberos ab hac aegritudine manere, vel eam mitissime tantum eos inuadere: mirum nemini videbitur, si statuimus, in nostro aegroto eam caussam ad morbum producendum et grauiorem reddendum, multum valuisse.

Praeter veneris cultum et spirituosorum potuum abusum nominaui, quorum haec potissimum indoles est, vt corpus nimis irritent omnesque affectiones e nimio irritamento gignendas producant; quorum effectus est totius corporis lassitudo, vitaeque languor. Et pro-

---

14) *I. P. Frank* l. c. p. 123. *J. Frank* l. c. p. 490.
*Richter* l. d. p. 464. *Haase* l. l. p. 373. §. 703.

15) *Schilling* l. l. p. 23. 25. et 185.

fecto experientia edocti scimus, haec phaenomena spirituosorum potuum nimio vsu in puerili aetate eo citius prouocari, quo magis fauet in hac aetate irritabilitas, et quo viuidiori modo functiones corporis peraguntur. Quum autem, vt ex historia enarrata adparet, aegrotus noster, non solum a spirituosis liquoribus non abstinuerit, verum etiam in dies eorum desiderio, quo tenebatur, satisfecerit: profecto haud mirum est, systema eius lymphaticum valde fuisse pessumdatum, et eruptionem exanthematis admodum promotam, siquidem cutis organon illud est, in quo praeualeat systema lymphaticum. Atque haec, quae proposui, in vniuersali quoque exanthematum aetiologia [16]) et in specie in lepra locum habere, Clarissimi Viri *Henslerus, Schillingius, I. Frankius, Richterus* aliique docent [17]).

Addo descriptioni caussarum occasionalium refrigerationem, cui, vt in historia monui, saepissime expositus fuit aegrotus noster. Duplex autem in refrigerio spectandum est momentum, alterum caloris, frigoris alterum. Et calorem quidem primum sensibilitatem adaugere, sanguinisque circulationem accelerare, et totum omnino corpus expandere, inter omnes constat. Frigoris autem effectus fere oppositi sunt illis, qui calori debentur, quippe quod contractionem producit, corporis diminuit ambitum, humoresque magis ad internas corporis partes regredi cogit. Quo celerior itaque caloris frigorisque est mutatio, eo grauius inde afficitur organismus, eoque maius ipsi damnum affertur, id quod refrigerium, calido corpore admissum, omnium optime probat. In cute vero quam maxime hanc caussam abnormes effectus excitare, neminem fugere potest, qui consideret, hoc organon corporis esse tegumentum omniaque tegumenta externis rebus primum esse exposita. Ideoque in exanthematicis praecipue morbis nil fere aegrotis perniciosius esse potest, quam

16) *W. A. Haase* l. l. p. 184.

17) *Schilling* l. l. p. 25. et 50. *Hensler* in excerptis p. 59. *I. Frank* l. l. p. 490. *Richter* l. c. p. 466.

temperiei subita mutatio, nec quidquam magis timendum est a medico, quam refrigerationis et, quae illam plerumque sequuntur, affectionum periculum. Facillime exinde elucet, refrigerationem in morbo, de quo disputamus, quouis tempore ad exanthematis, symptomatumque, quae illud comitabantur, reditum plurimum contribuisse, eamque perinde omni iure ad grauissimas vitiliginis et leprae caussas occasionales ab omnibus fere auctoribus esse relatam [18]).

Caussis denique occasionalibus adnumeranda est laesio iis, quae supra nominaui, acidis in manu excitata. De eiusmodi causticorum liquorum, qui et basi, et quantitate principiorum, ex quibus compositi sunt, a se inuicem recedunt, in organismum animalem effectu, vtut variorum auctorum sententiae inter se differunt: hoc tamen euictum est, eos pertinere ad eorum medicaminum classem, quae chemicam actionem exserunt in corpora animalia [19]), eaque valde afficiunt et destruunt. Atque haec vis, qua agunt, hoc magis crescit, quo condensatius est acidum, effectusque, quem producit, similis est illi, qui in locis inflammatis obseruatur, dolor quippe vehementissimus est, tumor et rubor conspicitur, quin etiam non desunt exempla, ubi breui praeterlapso tempore, cuncta corripiebantur organa [20]). Quum itaque experientia ducti vidissent medici, medicamina, quae insigni pollent oxydandi atque topicam affectionem in cute excitandi vi, externe adhibita gignere inflammationes [21]), et quum, vt supra monuimus, omnium exanthematum caussa princeps nitatur inflammatione, acida praesertim ad exanthemata, quae supressa erant, reuocanda cum

---

18) *Schilling* l. l. p. 25. 50.
*Hensler* l. c. p. 294.
*I. Frank* l. c. p. 490.
*Willan.* l. l. p. 97.
*Richter* l. d. p. 453. 462. 466.

19) *Voigtel vollständiges System der Arzneymittellehre, herausgegeben von Dr. Fr. C. G. Kühn. Leipzig* 1817. Tom. II. *3te Abth.* p. 80 et 81.

20) *Ibidem* l. l. p. 82.
*Orfila allgemeine Toxicologie, nach dem Franz. mit Anmerk. und Zusätzen begleitet von Dr. Sigm. Fr. Hermbstädt. Berlin* 1818. Part. II. p. 74. §. 514.

21) *Guil. A. Haase* de exanthm. chronic. in vniu. Spec. I. p. 13. §. 7.

fructu adhibita esse, obseruatione confirmatum est. Mirum igitur nemini videri potuit, similem exitum et in nostra caussa locum habuisse, praesertim si cogitamus, acida fuisse condensata copiamque sat magnam obruisse sinistram adolescentis manum. Perniciosior autem acidorum combustione visus est in aegroto nostro fortasse status, hancque prae se tulit formam propterea, quod plures caussae, de quibus iam ante diductius est expositum, concurrerant, vasisque resorbentibus pars aliqua acidorum insucta erat, quae leprosis quam maxime noxia esse, claris verbis *Schillingius* statuit [22].

Priusqam autem hanc caussam missam facio, non possum, quin in fine dissertationis meae exemplum in medium proferam, quod in *Tulpii* infra laudato opere legitur; et quum dignissimum mihi illud videatur, quod memoretur, paucis verbis hic reddo [23]. Chirurgus imperitus, qui puellae, quae vehementissima odontalgia vexabatur, guttulas aliquot acidi vitrioli condensati ad mitigandos dolores denti instillare voluit, effundebat ex improuiso partem aliquam acidi, quam puella deglutiebat. Exoriebantur paulo post internae laesionis effectus, qui tamen, adhibitis aptis remediis sensim sensimque euanuerunt. Nihilominus in externa corporis superficie prorumpebat pustulosum vlcerosumque exanthema, quod post quoduis admissum refrigerium recruduit et denuo cessauit. Ceterum extremae digitorum phalanges croceum induebant colorem.

22) *Schilling* l. c. p. 50. et 56. 23) *Tulpius*, obseruationes medicae lib. III. cap. 43.

## TABULARUM EXPLICATIO.

Priusquam ad singularum tabularum descriptionem me conuerto, quae hic breuissima esse poterit, quum statim adpareat, quaenam partes sint depictae, earumque forma et character antea iamiam diductius sit expositus; praemoneo omnes figuras tertia die post adolescentis accessum in nosocomium *Sti. Jacobi* esse delineatas.

Tab. I. exhibet externam brachii sinistri superficiem, in qua cicatrix magna et fissa in manus dorso, locus combustionis principiumque mali animaduertitur. Reliqua pars cutem rubescentem vlceribus phagadaenicis sparsim obsessum refert.

Tab. II. sistit brachium dextrum cum exanthemate in historia accuratius descripto.

Tab. III. adumbrat locum et formam impetiginis in pectore.

Tab. IV. reddit morbi imaginem in mala dextra.